

ANNUENTE REDEMTORE!

DE

RELIGIONE  
CARTESII,

CONSENSU

INCLYTÆ FAC. PHILOS.

IN

ALMA GRYPHICA,

D. XXXI. DECEMBR. MDCCCV.

PLACIDE DISPUTABUNT

PRÆSES

M. ANDREAS Ritter/

LUBECENSIS,

FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCT.

ET

RESPONDENS

JOHANNES FONTIN,

RIGA. LIVONUS.



GRYPHISVALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII

REG. ACAD. TYPOGR.

1666  
MAGNIFICO,  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMO PERQVE STRENUO  
REGIÆ REIPUBLICÆ  
RIGENSIS  
SENATUI,  
UT ET  
SPECTATISSIMO ATQVE INTEGERRIMO  
MAJORI SENIORUM,  
QVOD RIGÆ EST,  
COLLEGIO,

CUM  
COLLEGIO der Schwarzen Häupter DICTO;  
HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS  
IN GRATI ANIMI TESSERAM  
ET  
IN SUI STUDIORUMQVE SUORUM COMMENDATIONEM  
HUMILLIMA  
MENTIS DEVOTIONE  
CONSECRAT

JOHANNES FONTIN,  
SS. THEOL. ET PHIL. STUD.





*Annuæ Redemptor Labori!*  
Disertatio Philosophica  
De  
Religione Cartesii.

S. I.



Osteaquam hactenus  
jussu Amplissimi Philosopho-  
rum Ordinis sub Auspiciis be-  
nedicentis Numinis in enar-  
randa *Cartesii*, tanti nominis  
Philosophi, Vita mea qualis-  
cunqve industria versata fuit,  
quam in id unice collocavi, ut  
ex officii ratione pro virium  
modulo Nobiliss. Dn. Commilitonum studiis consu-  
lerem, nunc quidem, cum ad statutorum tenorem  
progrediendum sit in palæstram disputatoriam, nul-  
lus ambigo, quin ex istis lectionibus, quæ pietatem  
ac *Religionem* Philosophi attingunt, decerpam & pro-  
lixiore paululum opera diducta publicæ Disquisitioni  
submittam. Si qui sunt, quibus omnia de *Cartesio*

mamoranda imbibere volupe est, eos ad pleniore fontes remitto, unde sitim suam possunt extingvere. Adeant *Lexicorum realium* Scriptores, *Joh. Jac. Hoffmannum*, SS. Theologiæ Doctorem, Histor. ac Græcæ Lingvæ apud Basileens. Profess. in Lexico Universali edit Lugdun. 1698; *Ludovicum Morerium*, Presbyterum & Doctorem Theologiæ in Dictionario magno Historico edit. Amstelod. per Clericum 1690; & *Petrum Baelium*, Profess. Philos. Rotterndam. in Dictionario Historico & Critico edit. posterioris Roterod. 1702. cujus Index Tom. III. adjectus singularia nonnulla suppeditabit. Evolvant *Thomam - Pope Blount*, Anglo-Britannum Baronettum in Censura celebriorum Auctorum edit. Londinens. 1690. in fol. pag. 711. Consulant ipsum *Cartesium*, præcipuè in Dissertatione de Methodo ac in Epistolis ad Jesuitam Dinetam & Celeberr. Voëtium. Legant *scripta eristica* magno numero ab utraq; litigantium parte vulgata, in quorum plurimis tamen affectuum impetus, quo abrepti in diversa abierunt Auctores, sole clarius elucet. Et qui hisce nondum fatiantur, uberiorem cognitionem haurire poterunt ex eorum scriptis, qui peculiari opera vitam Cartesianam profecuti sunt. Est in eorum numero *Daniel Lipsforpius*, Lubecensis, qui Speciminibus suis Philosophiæ Cartesianæ Lugdun. 1653. excursis fragmenta aliquot de vita Cartesii inseruit, ex ore Schottenii, Senioris, & de Ræi in itinere collecta. Quin etiam, quod reticuit, acceperat Schedulas Juveni cuidam, Vau-Berhel dicto, à Dn. de Ræi traditas, ex quibus, quæ ad Cartesium spectabant, inscio de Ræi

juris,

juris, ut diximus, publici fecit. Excepit hunc eodem adhuc anno *Petrus Borelius* Medicus Regius, quando *Compendium suum Vita Renati Cartesii, Summi Philosophi* typis exscribi curavit. Repetitæ sunt editiones hujus tractatus, qui paucis in forma octava quaternionibus absolvitur, Parisiis 1656. Francofurti & Lipsiæ 1670, & 1676. Mox integrum expressit *Henningius VVitte* in Tom. I. Memor. Philosoph. p. 580. Successit *M. Joh. Teplius* in *Historia Philos. Cartesiana* Norimberg. 1674: impressæ, sed quæ sat tenuis pro tanti argumenti dignitate vix alia ministrat quam quæ apud ipsum Cartesium passim in scriptis reperiuntur. Latius patuit propositum *Gerardi de Vries*, Philos. apud Ultraject. Professoris, cujus exasciatæ planè in hoc studiorum genere eruditioni *introductionem Historiacam ad Cartesii Philosophiam* debemus, quæ in cathedra Academica 1683. & sequentibus publicis Disputationibus ventilandam dedit. Constituerat secum in animo, ut habet Præfamen, Principiorum Cartesii continuum textum ad examen revocare, cui labori hanc introductionem censuit esse præmittendam. Sed nescio, an ad umbelicum perductum fuerit opus, cum mihi septem tantum visæ sint dissertatiunculæ, in quibus generalioribus præmissis de Moribus Viri differit, pauca verò de ipso Viræ curriculo delibat. Omnium instar esse poterit *Adrianus Bailletus*, celebratum inter eruditos nomen, qui reliquorum defectus suppleturus sub tecto nomine Gallico Idiome *Vitam Cartesii* conscripsit. Opus in duas Partes & octo Libros divisum Paris. prodiit in 4to 1691. & in compendium redactum in 12mo. 1693.

cui ne quid perfectionis deesset, Gl. Autor de quibuscunq; fide dignis monumentis sibi sollicitè prospexit. Conf. Præfationem, quæ plura dabit huc pertinentia. Meminit *Morhofius* Polyhist. Lib. I. Cap. XXV. p. 316. Vitæ Cartesii à *Chanuto*, Galliarum Regis in Svecia Legato scriptæ. Sed cum ista nunquam suscepta fuerit à *Chanuto* opera, sine dubio in istam opinionem exinde pervenit Vir incomparabilis, quod noverat *Chanutum* Cartesii Intimum & omnium ejus rerum, si quisquam alius, probè conscium.

## §. II.

Ego jam missis reliquis omnibus, quæ ex vita Cartesii, tanquam ex latissimo disserendi campo, peti possent, in id unicum tantum inquiram thema, quod Titulus Dissertationi præfixus promisit. Voces in eo occurrentes ut prolixiore studio evolvam, supervacaneum duco. *Cartesius* cui non dictus? Autor ille Philosophiæ novæ ingeniosissimus, qui nomen suum ab oblivione eò certius vindicavit, quò fervidius bellum omnibus ante ipsum Philosophis indixerat. Nec offendant quempiam latinum nomen, *Cartesius*, quod tanquam spurium ab ipso Philosopho olim improbatum fuisse constat. Ita enim *Regio*, Intimo suo, qui nomeu ipsius hoc modo inflexum usurpaverat, respondet Epist. 81. Lib. I. *Malim vero nomine Descartes, quam ficto Cartesius vocari.* Sed cum ipse hac in causa mentem suam mutaverit, ratus, *nominandum se Cartesium, propterea quod nomen Gallicum apud Latinos aliquando durius sonet*, vid. Epist. 51. ad *Mersennum* Part. II. nullam hinc ipsi injuriam factam censeo. Fuit illi antea cognomen  
*du Per-*

*du Perron* ex consuetudine quadam inter Gallos recepta, ut discerneretur à fratre natu majore, *Petro Descartes*. Enim verò immutato mox nomine assumpsit gentilitium *Descartes*. Ex veteri orthographia, antiquis membranis confirmata scribendum erat *des Quartes* & ex usu Seculi XIV latinè: *de Quartis*. Unde omnis tritæ allusionis gratia perire videtur, quando nonnullis per scomma *Philosophus Chartaceus* audire solet, nisi fortè cum *Samuele Gott*, *Armigero*, lusum in re ipsa potius, quàm in nomine quæsiuerint, qui in Præfat. Hist. Gen. pag. 5. Londini 1670. *Cartaceam* vocat *Cartesii Philosophiam*, quia mundum aliter in charta describat, quam illum DEUS in natura & verbo. Prænomen *Renatus*, quod alteri Susceptorum baptismalium, *Renato Brocardo des Fontaines*, Prætori Pictaviensi debet, ansam dedit Parasitorum assentationibus, inter quos *Lipstorp* Spec. Phil. Cart. pag. 73. censet, jure dici, uno hoc *Renato universam Mathesin & Philosophiam esse renatam*. Nec ignotum esse potest illud vulgare: *O fortunatam Sophiam me (Cartesio) Patre renatam!*

## §. III.

Quod ad alteram, quam Inscriptio Dissertationis sistit, notionem attinet, non curabo jam etymon religionis longius accersere, cum meâ nihil referat, an juxta *Ciceronem* Lib. II. Cap. XXVIII. de Nat. Deorum à relegendo dicatur, quia religiosi omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, ac quasi relegerent: vel cum *Lactantio* divin. Instit. Lib. IV. Cap. XXVIII. *Hieronymo* in Cap. IX. *Amosi*, *Isidoro* Orig. Lib. VIII. Cap. II. aliisque à religando derivanda sit, quod hoc pietatis

*tatis vinculo obstricti DEO ac religati sumus; vel cum Servio Sulpitio apud Macrobius Lib. III. Saturnal. Cap. III. à reliquendo nomen acceperit, quoniam religio propter sanctitatem aliquam remota ac seposita à nobis sit. Nec operæ pretium puto enumerare varios illos, quos nomen hoc induit significatus. Cui omnes noscere volupe est, conferat Matthiam Martinium, in Lexico Philologico, ubi undecim vocis acceptiones accurato studio recenset. Illam significationem, quâ ex communi loquendi usu apud Pontificios statum Monachalem denotare solet, pluribus enuclearunt Carolus du Fresne in Glossario med. & inf. Latinit. Tom. III. pag. 527. & Macri Fratres in Hierolex. pag. 519. Mihi hoc in loco laxior vocis sensus placet, quando & internum & externum DEI cultum, & primæ & secundæ tabulæ officia sub se complectitur. Id enim ago in præsentis qualicunqve labore, ut brevibus inquiram in pietatem Cartesii, quæ DEUM pariter ac proximum persecutus est, & cui religioni addictus vixerit, ex iis, quæ suppetunt, monumentis exponam.*

§. IV.

Sed quæ religio? quæ pietas in Cartesio locum habere poterit, quem magnæ autoritatis Viri constanti animo jamdudum Atheismi postularunt? Est inter illos Petrus van Mastricht, Doctor & Profess. Theolog. Duisburg: qui in Præf. ad Vindic. Autoritatis & Veritat. Scripturæ in reb. Philos. pag. 3. graviter asserit: *Satanam operâ Renati Descartes enervatis genuinæ fidei Christianæ principis in Scepticismum primò, post in Atheismum Ecclesiam proturbare conatum esse; additque, Cartesium imitatum exemplum Julii Vanini Atheismum propagare volens.*

Nec

Nec levior est accusatio *Henr. Mori*, *Viri*, ipso Cartesio  
 Judice, *perspicacissimi* vid. Ep. LXVII. Part. I. pag. 185.  
 & tanti olim Cartesianae Philosophiae admiratoris, ut  
 putaverit in Epist. ad Renatum, quæ est 66ta Part. I.  
*neminem hominem se ipso arctius eam amplectari posse*; qui  
 tamen postea longe alias tibias inflavit, quando in  
 Præf. Enchirid. Metaphys. num. 6. ita animi sui sensa  
 expressit: *Ut res se nunc habent, si Philosophia Cartesiana,*  
*quæ Physica, quæ Metaphysica staretur, æquidem horreo dicere,*  
*in quanta proclivitate & quam periculoso in Atheismum præ-*  
*cipitio mortalium animi constituerentur, adeo nullum in illius*  
*philosophandi rationibus occurrit, quod eos à prolapsu in hunc*  
*vesanum morbum prohibeat satis firmum retinaculum.* Hæc  
 ille, qui ante in Epist. LXV. ad Claud. Clerfelier  
 Part. I. Epist. Cartes. talem novæ Philosophiæ præconem  
 egerat: *Nec certè solum lectu jucunda est hæc Cartesiana*  
*Philosophia, sed apprime utilis, quicquid aut misitent, aut de-*  
*blaterent alii, ad summum illum omnis Philosophiæ finem, puta*  
*Religionem. Si Principiis staretur Cartesiana, certissima esset*  
*ratio ac Methodus demonstrandi, & quod DEUS sit, & quod*  
*anima humana mortalis esse non possit. Quæ sunt illa duo soli-*  
*disima fundamenta ac fulcra omnis veræ religionis. Sed sum-*  
*matim dicam, nullam extare Philosophiam, nisi Platoniam*  
*fortè exceperis, quæ tam firmiter Atheis viam præcludit ad*  
*perversas istas cavillas & subterfugia, quo se solent recipere,*  
*quàm hæc Cartesiana, si penitus intelligatur. Plura testimo-*  
*nia eorum, qui Atheismi maculam Cartesio aspergere*  
*voluterunt, adducit Frider. Spanhemius, Fil. in elegan-*  
*tissima Epistola ad Amic. de Novissimis circa res S. in*  
*Belgio diffidiis pag. 56. seq.*

## §. V.

Nollem tamen tam grandis criminis dicam Philosopho Christiano scribere, qui tot dedit in scriptis, suis infucati, quo DEUM suum prosequeretur, cultus documenta. Absolvere illum poterit vel solus ille labor, quem circumspecto animo demonstrando ex lumine Naturæ Summo Numini impendit. Sistunt illum *Dissertatio de Methodo num. IV. Principiorum, Philosophiæ Pars Ima num. XIV. seqq. & prolixius Meditationum de prima Philosophia IIIa, quam Philosophus his notatu dignis verbis fuit: Placet aliquamdiu in ipsius DEI contemplatione immorari, ejus attributa apud me expendere, & immensi hujus luminis pulchritudinem, quantum caligantis ingenis mei acies ferre poterit, intueri, admirari, adorare. Ut enim in hac sola divina majestatis contemplatione summam alterius vitæ felicitatem consistere fide credimus, ita etiam jam ex eadem, licet multo minus perfecta, maximam, cujus in hac vita capaces sumus, voluptatem percipi posse experimur. Tantos autem in via demonstrandi DEUM ex lumine naturæ fecerat profectus, ut DEI existentiam veritatum omnium possibilem primam & maximè eternam & solam, unde reliquæ omnes procedant, haberet. Vid. Epist. CXII. Part. I. Hinc infallibili veritatis fundamento nixus liberè profiteri poterat. Epist. CX. Part. I. Certè scio DEUM esse rerum omnium autorem. Dico autem me id scire, non verò me id concipere aut comprehendere; sciri enim potest, DEUM esse infinitum & omnipotentem, quanquam anima nostra, utpote finita, id nequeat comprehendere, siue concipere, eodem nimirum modo, quo montem manibus tangere possumus, sed non ut arborem aut aliam quampiam rem, brachiis*

*ehis nostris non majorem amplecti; comprehendere enim est cogitatione complecti, ad hoc autem ut sciamus aliquid, sufficit, at illud cogitat oue attingamus.* Quæ fanè sobriè fatis à Philosopho dicta sunt & Cartesium à suspitione Atheismi plene liberant. Ridebat ergo, bonâ conscientia, velut aheneo muro, suffultus, Voëtii & aliorum criminationes, cum persuasus esset, *nihil unquam scribi posse, in quo magis evidens & magis inexcusabilis calumnia reperitur;* Vid. Argumentum Epist. ad Gisbert. Voëtium pag. 4. conf. Part. VIII. ej. Epist. pag. 69. & Part. ult. pag. 84. & 85. it. Epist. XXXIV. & XCIX. Part. I. Epistolarum. Illud unicum, sed fide *Bailleti* in Vita Cart. Lib. VIII. Cap. VII. addo, Pictorem quendam Sveciæ, nomine *Beeck*, Atheum antea ex sola demonstrationum Cartesianarum lectione ad sanam mentem rediisse, idq; coram *Chanuto*, Galliarum Legato, publicè fuisse professum. Quem DEUM verò ex invictis rationum momentis agnoverat Philosophus, illi etiam omni cum mentis devotione conformem isti, cujus sacris initiatus erat, Ecclesiæ cultum exhibebat, adeo, ut teste potentissima *Christina*, cui ex quotidiana conversatione hominis mores non poterant esse ignoti, *vitam ad superstitionem usque religiosam duxerit.* Vid. *Bailletus* Lib. VIII. Cap. VI. qui passim in laudato opere plura alia singularis erga DEUM venerationis testimonia affert, unde ea fusius repetere jam supersedeo.

## §. VI.

Non quidem inficior; id enim esset veritati vim inferre; dari nonnullas in Cartesianâ Philosophia hypothèses, quæ purioris fidei doctrinæ repugnent, & à

Scripturæ oraculis, norma illa faniorum verborum longius, quam par erat, discedant, unde Philosopho crimen novaturientis impietatis jure possit impingi. Testatur id ex Pontificiis *Petrus Daniel Huetius* in Censura Philosophiæ Cartesii. Cap. VIII. §. 3. n. 4. pag. 98. quando graviter conqueritur: *At capitale hoc est, quod à plerisque Christianæ Religionis decretis aliena est hæc Philosophia.* Testatur ex Reformatis *Frider. Spanhemius, Filius*, in Epist. cit. ubi pag. 56. seq. hanc de Cartesio mentem aperit: *Nihil hic in video celebratissimi Cartesii, quem mihi in Mathematicis & Mechanicis disciplinis solertem das, liberali praconio, & quem in his unum opponit viris prioribus recens etas, invitis quæquam Gassendo, H. Moro, Fromondo, Morino, peritis aliis istarum artium, Maneat Cartesii nomen plus uno perenne seculo, habeat ille in Geometricis aut in Dioptricis principatum, legatur frequens orbe toto, emineat acuminis laude, inventorum felicitate, indagationis solertia ac perspicuitate dictionis, & dispulerit in nonnullis tenebras, quas in scientiam naturalem inscitia & barbaries induxerat. Non id sollicitamus, quicquid mendaci fama vulgatum sit, nihil his intercedimus, nec illi libertati, quæ natura tot abdita Philosophus quàm diligentissimè rimatur perquiratque τὴ ἢ τὴ φύσει καὶ ἀλλοθεν, ἢ τὴ ἀληθείᾳ σύμφωνον, modo non suspensio etiam in evidentissimis gradu. Facta refero, offensiones pridem Theologis natas & gravissimas & oculatis & emunctarum navium ex Renati nonnullisque, istis iudicibus, paulò quàm par est Christiano Philosopho, liberius vel supposuit vel asseruit. Testatur denique ex nostratibus *B. Valentinus Alberti* in Disp. Doctorali de Cartesianismo & Coccejianismo Lipsiæ 1678. exhibita, qui Cap. I. §. 5. ita de Cartesio judicat: *Nimirum homo ille**

*inter*

inter Philosophos prorsus novus, sed tardius natus, occupata inveniebat omnia, sibiq; tum Gentilium, tum Christianorum sectas obflare deprehendebat. Hinc ut ad scopum suum perveniret, eam elegit viam, quã ab utriusque secederet; imo ex hac causa non tantum sententias gentilium deserere, sed & in Christianismum, ipsumque, cui ad mortem usq; externa professione addictus fuit, Pontificiam Religionem impingere necesse habuit. Nata hinc Petro van Mastricht Novitatem Cartesianarum Gangræna nobiliores plerasque corporis Theologici partes arrodens & exedens, s. Theologia Cartesiana detecta Amstel. 1677. & Samueli Maresio, qui tamen cum Cartesianis magis pugnat, quam cum ipso Cartesio, sub molliori titulo de Abusu Philosophiæ Cartesianæ surrepente & vitando in rebus Theologicis & fidei Dissertatio Theologica, Gröningæ 1670. quam Cl. Autor in Præf. ad omnes Ecclesias Reform. Fœder. Belgii vocat *Specimen monstrosarum & horrendarum opinionum Theologicarum, quibus Cartesiani Theologi Orthodoxiam sædant, & Veritatis, quæ est secundum pietatem, concutiant fundamenta.* Nec ostendit cum amplausu cordatiorum Christophorus Wittichius, eum, quem Titulus libri, cujus secunda editio Lugduni Bat. prodiit 1682, promiserat Consensum Veritatis in Scriptura divina & infallibili revelatæ cum veritate Philosophica à Renato Descartes detecta. Multò minus ejusdem Autoris *Theologia Pacifica* calculus rectius sentientium meretur, in qua inter alia Usus Philosophiæ Cartesianæ in diversis Theologiæ Partibus demonstrare & ad dissertationem Sam. Maresii de Abusu Philosophiæ Cartes. in rebus Theolog. & fidei respondere sategit; quippe cui

*Maresius* suum de Theologia Pacifica Wittichii iudicium solide opposuit 1671.

§. VII.

Verum enim verò relictis illis, quæ à Theologis prolixius excutienda sunt, id tamen nemo diffiteri poterit, discrimen utiqve inter *Cartesium* ejusqve pullos ac sectatores esse faciendum, cum ex his nonnullorum temeritas latius disseminaverit illud, quod *Cartesius* primò omnium spargere visus fuit, periculosissimarum opinionum venenum. Argutè hanc vesaneam exprimit *B. Alberti* in Disput. cit. §. 22. verbis sequentibus: *Hi verò non nescii, facile esse inventis (malis non minus ac bonis) aliquid addere, non subsistunt, ubi Cartesius incept; sed cum ille cœnum Theologiae asperserit, hi venenum ipsi infundunt. Crasiores Cartesianos innuit, quos inter familiam ducere videretur Autor Anonymus & profanus Exercitationis Paradoxæ, quæ 1666. in Belgio sub hoc Titulo lucem aspexit, tenebris perpetuis digna: Philosophia S. Scripturæ Interpres: Exercitatio Paradoxa; in qua veram Philosophiam infallibilem S. Literas interpretandi Normam esse apodicticè demonstratur & discrepantes ab hac sententiæ expendantur ac refelluntur. Autor infamis ac propudiosi libri ab initio habebatur Lambertus Velthuisius, Ecclesiæ Wallonicæ apud Ultraject. Senior; vid. *Joh. van der VVayen*, in Præf. Libri mox citandi. Verum ipse juramento ab ista suspitione se purgavit; vid. Epistola Gallici Synedrui Traject. ad Acad. Franeqveranæ Senatum & *N. Arnoldi* ad eam Responf. apud *VVolzogium* in Orthod. Fide. Verum Autorem nominat *Ludovicum Meyer*, Medicum Amstelodam. *Benthem**

*ibem* im Holländischen Kirchen und Schulen Staat Part. II. pag. 352. Destruxerunt blasphemam sententiam inter alios *Petrus Serarius* in Respons. ad Exercitationem Parad. Anonymi cujusdam Cartesianæ Sectæ discipuli Amsterod. 1667. & *Reinerus Vogelsangius*, Vianens. V. D. M. & Theol. Profess. in Ecclesia & Gymnasio Sylva - ducensi in justa Indignatione contra libellum: *Philosophia &c. Ultraj.* 1669. Quin imò ipsis subtilioribus Cartesianis displicuit maleferiata audacia, inter quos *Ludov. Wolzogius*, Eccles. Walonicæ apud. Ultraj. Pastor & Hist. Eccles. Profess. protervum scriptum ex professo refutandum sumsit in libris duobus de Scripturæ Interprete adversus Exercit. Parad. 1667; in quibus tamen invenit, quæ reprehenderet *Ecclesia Gallo Belgica Medioburgens.* quando Animadversionis & Censuras Theologicas in Lud. Wolzogii propositiones multifariam erroneas in gemino de Scripturæ interprete libello evulgavit. Quibus *Wolzogius* de novo opposuit Orthodoxam Fidem, sive adversus Joh. de Labadie Censuram Censuræ Medioburgens. in libellum de Interprete Scripturarum Trajecti 1668. Sed impetierunt hinc *Wolzogium* duo alii adversarii, *Joh. van der Maeyen* Libris III. pro vera & genuina Reformatorum Sententia, præsertim in negotio de Interprete Scripturæ adversus Lud. Wolzogium, & *Joannes Broun*, Scoto-Britannus, V. D. M. libro, in quo Wolzogium in libellis duobus de Interprete Script. causam orthodoxam prodidisse demonstratur. Ex orco abominabilem sententiam post quatuor lustra aliquvô modo revocare ausus est *Gisbertus VVesselus*


*Wesselus Duker*, Marco Westphalus, Juvenis viginti annorum, Philosophiæ Candidatus, qui in Disputatione de recta ratiocinatione Franeqveræ d. 8. Octobr. 1686. pro gradu Magisterii habita Thes. VIII. id etiam asseruerat paradoxum. *Scripturæ divinitatem, quæ autoritas ejus omnis nititur, non aliunde, quam ex Ratione adstrui posse; neque eos culpæ esse liberandos, qui asserere sustinent, si Ratio aliud quid nobis diceret, quàm Scriptura, huic potius esse credendum.* Lis hinc orta à parvis initiis in immensum crevit, & octodccim scripta hinc inde à partibus controvertentibus in lucem emissa, quæ omnia excerpta dederunt Collectores Bibliothecæ Universalis Tom. VI. quadraginta integris foliis. Ex iis communicavit nobiscum, quæ ad controversiam tanta animorum contentione agitatam faciunt, *Christ. Thomasius in der Zugabe ad Mens. Jun. 1688. der Scherz- und ernsthaften Gedanken/n. II.* Quædam etiam repertiuntur apud Summe-Rever. *Dn. Joh. Cyprianum* in Disp. Doctor. de Analyfi Fidei Christianæ Lips. 1699. exhibita Sect. III. Art. III. §. 74.

§. VIII.

Exinde autem *Cartesium* in jus vocare non licebit, quem majori prudentia in philosophando usum fuisse nec tam aperta fronte Theologiæ pomœria turbasse omnes compertum habemus. Cautus quippe erat & circumspectus in rebus ad fidem pertinentibus, ne odium eorum, quibus religio cordi esset, in se suamq; Philosophiam concitaret. Hinc omni studio declinare videbatur controversias inter Theologos ventilatas nec ultra eam, quæ rationis ac naturæ ambitu continetur,

tur, sphaeram in ratiocinando progredi volebat. *Theologiam nostram*, inquit *Diff. de Methodo n. 1. p. 5. reverabar, nec minus, quam quivis alius beatitudinis aeterna compos fieri exoptabam. Sed cum pro certo ac explorato accepissem, iter, quod ad illam ducit, doctus non magis patere, quam indoctis, veritatesque à DEO revelatas humani ingenii captum excedere, verebar, nec in temeritatis crimen inciderem, si illas imbecilla rationis meae examini subicerem. Et quicumque eis recognoscendis atque interpretandis vacare audens, peculiari ad hoc DEI gratia indigere, et supra vulgare hominum sortem possit esse debere mihi videbatur.* Ex ea ratione nolebat quidpiam ad quæstiones Theologicas à quodam per literas propositas regerere, quin potius ita se excusaret Ep. CX. Part. I. *Hoc ad Theologiam spectat, atq. adeo pace tua illi supersedebo; quia pato injuriam fieri veritatibus, quæ à fide pendent, quæq. naturali demonstratione probari nequeunt, si quis illas humanis rationibus & tantum probabilibus veli stabilire. Articuli 4. 5. 6. 8. 9. Epistola tua omnes ad Theologiam pertinent, quare illos, si placet, omittam. Sacri Codicis pandectis quantum tribuerit, §. ult. Part. I. Principior. Philos. his verbis indicat: Præter cætera autem memoria nostra pro summa regula est infingendum, ea quæ nobis à DEO revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda; Et quamvis forte lumen rationis, quam maximè clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen auctoritati divinæ potius, quam proprio nostro judicio, fidem esse adhibendam. Conf. §. 25. ej. Part. An Inquisitionis metu talia inse-ruerit, cum tamen mens fuerit ab istis alienissima, non dijudico. Vid. Autor Judicii de Respons. Serarii contra Exercit. Parad. §. 14. p. 67. quem J. Amos. Co-*  


C menium



menium fuisse manus Viri cujusd. docti annotavit. Sunt, qui illum à frequenti Bibliorum lectione commendant, & hæc sola ab iis, qui Cartesium convenerint, in mensa ipsius semper fuisse reperta attestantur. Vid. *Tob. Andree* Methodi Cartes. Assert. Part. I. pag. 835. E contra *Jacobus Revius* Cartesiomania Part. I. pag. 307. seq. ex *avloria* refert, se, cum Cartesium Daventriæ hærentem inviserit aliquoties, nihil in ipsius mensa invenisse præter Metamorphosin Ovidii Gallicè versam & scriptum quoddam Keppleri Mathematici. Secundum alios in legendis Bibliis usque ad Historiam Simsonis Gazæ portas in verticem Hebroni montis humeris deportantis pervenit & abhinc Scripturarum autoritatem adunco naso suspendit. Vid. *Gerard. de Vries* in Introd. Part. V. Thef. 30. ubi se illa ex ore Viri cujusd. gravissimi hausisse narrat. Sed hisce tanquam incertis valdè non innitimur. Cartesium tamen in consideratione rerum Theologicarum non multum desudasse & de veritate religionis suæ vix ac ne vix quidem fuisse sollicitum, ad oculum patet ex prima ejus Regula Ethica Diff. de Methodo n. III. pag. 14. quæ hæc erat, *ut legibus atq; institutis patriæ obtemperaret firmiterque illam religionem retineret, quam optimam judicabat & in qua DEI beneficio ab inuente ætate fuerat institutus.* Eodem recidit responso, quam *Revio* monenti ipsum, ut de religionis quoque puritate seriò cogitaret, dedit: *P ay la religion du Roy*, cui, cum amplius urgeret *Revius*, addidit: *P ay la religion de ma nourrice.*

## §. XI.

Reliquos Viri *mores*, qui ad secundam legis tabulam.



iam spectant, omnes recensere vetat temporis & pagellarum ratio. Præterea cum *Bailletus* in opere cit, & *de Vries* in Disputationibus pleniore opera eos exposuerint, sufficiat in præsentiarum præstantiores annotasse, quorum consideratio animum curiosa quadam jucunditate permulcere potest. *Frugalitatis* laudem *Cartesia* nemo veritatis amans abjudicabit; quippe cui per omnem vitam suam fuit deditus. Leguminibus, oleribus, ac cæteris agri fructibus maximè delectabatur; inprimis verò placentâ ex ovis per 8. aut 10. dies jam tum incubatione subactis confecta. Observat *de Vries* Disp. III. §. 21. ipsum non, uti vulgo moris est, ex pluribus ferculis appositis unum post aliâ gustasse, sed plerumque ex mixto in orbe mensario inter sese omnium ciborum genere, quò eadem cœna vesci constituerat, unam, quam simul assumeret, fecisse composituram, quod putaverit, ea re ventriculum in digerendo facilius alimento plurimum juvari. Enim verò *Bailletus* Lib. VIII. Cap. I. pag. 448. *Vriesii* fidem in hac relatione planè enervare conatur. Vinum valdè modicè bibebat; unde falsissimæ calumniæ arguuntur, qui illum ex nimio vini Hispanici haustu in ultimum morbum incidisse frivole prætendunt. Vid. *Bailletus* Lib. VII. Cap. XXI. pag. 415. Non æquè *castitatis* laude celebrandus videtur Philosophus; etiamsi cœlibi ad mortem usque vita gavifus fuerit. Taceo illud quod largitur *Borellus* pag. 5 *mulierum eum delectatum fuisse colloquio*. Non commemoro, ipsum puerum adhuc amasse suæ ætatis lusciculam quandam, unde factum, quod semper strabones aestimaverit.

Vid. *Bailletus* Lib. VIII. Cap. VI. pag. 499. Prætermitto, quæ de amore *Cartesii*, quô in virginem quandam Turonensem, de *la Menaudière* dictam, propenderit, absque documentorum pondere narrantur. Vid. *Id.* Ibid. pag. 500. Nec attingo honestum Philosophi amorem, quando svasu aliorum adductus, cum alias bonam mulierem, bonum librum & perfectum Concionatorem res habuerit in mundo rarissimas, matrimonium *Nobilis Domina du Rosay* ambiit. quamvis irrito successu, cum repulsas acceperit. Vid. *ib.* Ibid. pag. 501. Illa enim nemo, nisi stoicus, acrioris censuræ obelisco notabit. At verò istud excusari nequit, quod in innuptas nuptias exarserit noster & ex illegitimo toro filiam susceperit. Est ea *Francisca*, concepta Amstelodami d. 15. Octobr. 1634. nata Davendriæ d. 19. Jul. 1635. denata non sine gravissimo Parentis luctu Amersforti 1640. d. 7. Sept. Mater incerta est, nec quisquam aliquid horum comperisset, nisi ipse *Cartesius* in frontispicio libri cujusd. sollicitè ea annotasset. Vid. *Bailletus* Lib. V. Cap. XII. pag. 89. seqq. An plures genuerit in cœlibatu liberos, nolo decernere. Ad minimum *Vatio*, qui id ipsi objecerat, frigide satis respondit in Epistol. ad illum Part. I. pag. II. *Et sane si filios illegitimos haberem, non negarem; nuper enim juvenis fui, & nunc adhuc homo sum, nec unquam castitatis votum feci, nec sanctus præceteris volui videri.* Quæ incredibilem mansuetudine ac summa *Cartesii* modestia ab affectis ejus prædicantur, *Borello* in Vita pag. 5. & *Lipstorpio* in Spec. pag. 86; de iis ex scriptis ipsius judicium ferri poterit. Nescio an modestiæ laude sit mactandus, qui explosis veterum placitis suas tantummo-

rummodò merces venum exponit & arroganti quancumque encomio commendat? Neq; enim *Johanni de Raet*, genuino Philosophi hujus discipulo, credere possumus, *Cartesium & Aristotelem* non aliter differre ac *Novi & Veteris Testamenti Scriptores*, cum ille tantum clarius exposuerit, quæ ænigmatibus quasi involverat Stagirita. Ita Viro huic infamiliari colloquio cum Magnifico *Dn. MAYERO* nostro, quem nunquam sine devotissima mentis observantia nomino, mentem suam hac de re explicare placuit, De nimia autem *Cartesii mansuetudine* vix ac ne vix quidem sibi gratulari poterunt, quibuscum vivus in arenam descendit & ferram acerrimarum contentionum reciprocavit.

## §. XII.

Ad metam propero, paucis tantum ultimo loco examinaturus, *cujus Ecclesia membrum quoad externam professionem existit Cartesius*. Videtur in aprico positum, quod placita Romanæ Ecclesiæ sectatus Sedi Pontificiæ suam juraverit obedientiam, Ita enim firmiter secum constituerat in animo, velle se ad cineres usq; illi adhærere religioni, cujus semina vel cum ipso materno lacte ipsi erant instillata. Vid. Diff. de Method. II. III. pag. 14. Hinc est, quod ipsemet sese *Catholicæ Religionis addictissimum* profiteretur, qui omnes ejus *Præsules summa veneratione suscipiat*, Part. II. Epist. XLIX. pag. 194. (Quorum tamen ferulam non effugit, cum post mortem scripta ejus in Indicem Librorum Prohibit. fuerint relata. Vid. Progr. de Princip. in Cartes. favore.) Quin imo nec à superstitionibus huic Ecclesiæ propriis alienus videri evoluit, quod satis comprobatur iter ad domum Lauretanam ob votum cujusdam obligationem

1624. suspectum. Vid. *Bailett.* Lib. II. Cap. VII. pag. 120. Scripta sua, ut decebat obedientem filium Ecclesiæ judicio offerebat, cum Principiorum Partem IV. his verbis concluderet: *As nihilominus memor mea tenuitatis, nihil affirmo: sed hæc omnia tum Ecclesia Catholica auctoritati, tum prudentiorum judiciis submitto.* Nec externo cultui, quo in sacris utitur cætus Pontificius, ulla in parte deerat, cum & missas audiret sedulo & frequentaret Eucharistiæ Sacramentum, & aliis hujus religionis exercitiis devotè interesset. Ita habet Attestatio à Patre *Francisco Vioque* Romæ 1667. data, qui olim apud *Chanusum* in Svecia sacerdotali munere fuerat functus. Accidit quod potentissima *Christina* publico testimonio toti orbi declaravit, Cartesium ad ipsius in castra Romanensium transitum multum omnino & vita & doctrina contuivisse. Vid. *Bailett.* Lib. VII. Cap. XXIII. p. 432. seq. Quoniam autem *Renatus* magnam vitæ suæ partem inter Reformatos transigebat, apud ipsos fidei socios eam incurrerat suspicionem, ac si animus ejus in horum Religionem esset proclivior. Non latebat hoc ipsum, quippe qui *Mersenno* hortanti, ut Catholicum Romanum se esse palam profiteretur, Part. II. Epist. IX. respondebat: *Videor mihi & expressè & sapius id fecisse, ut cum Sorbonensibus Meditationes meas nuncuparem, cum explicarem, qua ratione species sine substantia panis maneat in Eucharistica & alibi; spero autem posthac meum in hanc regionem secessum nemini daturam locum malè existimandi de religione mea, quandoquidem ea refugium est Catholicorum.* Ægrè autem ferebat criminationes illas, ac si Calvinianis subscriberet eorumq; templa visiteret, Vid. *de Vries* Disp. V. §. 33. Unde non perspicio, ex qua causâ *Mares.* in *Difi.* de *Abas.* &c. §. 3. existimaverit.

illum

illum virum, quæ perspicuitate & lima iudicii pollebat, cum tempore ad Reformatorum sacra transiturum fuisse, nisi Satana invidia lites personales inter ipsum & celeberrimos quosdam reformatæ Religionis Antistes excitare, quæ occasione alienior ab ista communione factus fuerit, Nunquam enim illum focium fidei sibi polliceri potuerunt Reformati, qui toto animo ab eorum doctrina abhorrebat & ab Ecclesia Calviniana ad Pontificiam Apostasiam validis rationibus excusari posse persvadebatur; Vid. Epist. X. Part. I. *Cartesius* potius in communione *Papicolarum* ad ultimum usq; vitæ halitum constanter perstitit, & ut habet Inscriptio Monumenti à *Chanutto* ad Sepulchrum Philosophi *Holmiæ* erecti, in avita religione quævit. Quiescat ergo & expectet vocem Iudicis, qui in novissimo adventu suo revelabit cordis interiora & accurata lance sententias decretorias distribuet. Nobis sufficit de religione ejus conquisivisse, quæ ex documentis externis colligere licuit; in quibus ut B. L. hac vice velit acquiescere, etiam atque etiam rogamus.

### Tantum !

**D**E cunctis dubitet suspensa mente *Renatus*,  
 Quando novum veri limen âdire cupit.  
 Haud ullum dubium de Te mihi, *Suavis Amice*,  
 Præmia quin credam digna parata Tibi.  
 Jure etenim merito largos expectat honores,  
 Quo studiis inhias, improbus iste labor.

*Nobilis. Dn. Respondenti suo prolixum affectum  
 bis paucis testari volebat*

**PRÆSES!**

*Cujus*

**Q**uius quæque Toni, felici ex fine videmus,  
Obsignat fausto fidere Finis Opus,  
Ultimus in Stadio dum scandis pulpita, Nobis  
Anni sic felix Exitus acta probat. (plaudit;  
Claudis opus, claudis que annum; sic Gryphica  
Omnia nam bona sunt, clausula quando bona est.

Anno labente, cum voto felicissimorum in studiis  
progressuum percharo suo FONTINO  
leto calomo scr.

M. GOTTLIEBUS SCHELGVIGIVS.

**Q**ualis heu! sacris pietas fidesque,  
Digna Descartes celebri Sophorum;  
En refert nobis tua docta Clio  
Nomine pleno.

Hos tuos ausus probat ipse Phœbus,  
Et tuas laudes recinunt Sorores,  
Et dabit fructus meritos laborum,  
Patria tellus.

Prestantissimo Dni respondenti gratulabundus  
applausit

A. Bald / Svec.

**Q**uas mihi CARTESII de Relligione tulisti  
Chartas, has chartæ munere, AMICE, colo,  
Carmen habe, votumque meum; TIBI Numen  
Fortunat Sobriæ Sedulitatis Opus. (ab alto

Charissimo suo Contrubernali inter faustissima vota  
sic applaudebat

ZACHARIAS Grünwaldt/  
Revaliâ-Livonus.

♣(o)♣